



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Panegyricvs, Die Natali Academiae Theodorianae
Paderbornensis, Reuerendissimo, atq[ue] Illustrissimo
Principi, ac Domino, Theodoro, Episcopo Ecclesiae
Paderbornensis, S. R. I. Principi, Fvndatori Eivs ...**

Horrion, Johann

Paderbornæ, 1616

Capvt X. De retinenda Academiarum inter se concordia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14243

decent, instructam esse voluisti? Ita enim retinetur admirabilis ille inter disciplinas concertus, atque consensus, ut cum alia sint diuiniore fidei lumine patefacta, atque à cœlo ascitata, alia natiuis ingenij viribus, & assiduo mortalium studio peruestigata, hæc illis pareant, atque ancillentur, & si qua in re lapsa fuerint, ab illis corrigantur: illæ verò earum cum præsijs ad compefcendos hostes, tum ornamentis ad sua illustranda, atque confirmanda vtantur.

CAPVT X.

De retinenda Academiæ inter se concordia.

NEque solum diuulsa sunt, atque distracta ipsa discipline illorum somniantium importunitate, & dementia, sed etiam, quod quidem malum multò latius patet, ipsa Academiæ, postquàm hoc nouum Euangelium ab inferis extitit, omnem funditus spem mutuæ concordia, & consensionis amiserunt. Atqui hæc fuit maioribus nostris præcipua Academiæ condendarum causa, ut veritas multorum sapientum studijs facilius reperiretur, & auctoritate certius muniretur. Sic enim homines sapientissimi iudicabant, cum in omni disceptatione, tum præcipuè, quæ de diuinis rebus instituitur, eruditorum hominum consentientes, conspirantesque sententias magni apud omnes ponderis esse oportere, præsertim si quod versatur in quaestione, diu fuerit antea magnis ingeniorum contentionibus agitatum. Id si in vno aliquo eruditorum hominum cœtu locum habet, quid incompluribus, non modò mœnibus, sed terra quoque marique disiectis? Iam verò ante Lutheri ab Ecclesia discessum,

sum, quanta erat omnium Academiarum in ijs quæ fide Catholica traduntur tuendis, propugnandisque concordia? quam multa, de quibus nihil dum certi Ecclesia decreuerat, jam quodam Academiarum præiudicio explorata tenebantur? quam multa in ijs, quæ ex doctrinæ Christianæ capitibus, adhibita aliarum quoque cognitione doctrinarum, aptè concludi visa sunt, jam pridem tam erant in Academijs recepta, vt ijs non assentiri summæ impudentiæ, ac temeritatis esse iudicaretur? Hoc quasi commune quoddam veritatis patrimonium pro se quælibet fidelissimè custodiebat, & quantum studio, ac labore conniti poterat, augebat. At verò simulatq; exortus est Lutherus, qui apud imperitos hæc omnia tanta gentium, ac sæculorum consensione comprobata, atque firmata conuelleret, tum verò simul excogitatum est aliud Academiarum genus, cui quoniam æternum est bellum cum veritate susceptum, omnia derepente litibus, discidijsq; permiscuit. Huius generis Academiam Burenus popularibus suis optabat, quæ non modò à Catholicis omnibus dissideret, sed ne spem quidem vllam haberet constantis cum suis gratiæ, ac pacis ineundæ. Ad quam enim illa tandem factionem, cum inter illos sint plurimæ, sese applicaret? Ad Flaccianam, an Eberianam? ad Osiandrinam, an Vbiquetariam? An, quod nonnullas fecisse videmus, à Luthero ad Caluinum, id est de calcaria ad carbonariam repente transfiret? Hunc verò ipsum, qui se sequi profitentur, quot jam sunt partium? Cuius verò tandem rationis fuisset, cum in VVestphalia tot jam sæculis Academia desideraretur, quæ esset veritatis officina, falsarum in ea opinionum, & litium sedem constituere? Est enim omninò, quod aiebat S. Au-

[In Pf 57.]

gustinus: **In ventre Ecclesiæ veritas manet.** Quis

E 2 quis

quis ab hoc ventre separatus fuerit, necesse est, ut falsa loquatur. Quocirca præclarè comparatum erat more institutoque maiorum, ne cuiquam dynastiæ fas esset Academiam condere, nisi non modò Imperator, verùm etiam Pont. Max. auctor fieret. Existimabant enim nihil esse præsentius ad sedandas opinionum discordias, & dissidia doctrinarum, quàm ut honores, qui viris doctis tribuantur, non modò ab eius qui toti Imperio, sed etiam qui totius orbis Ecclesijs præest, auctoritate pendeant: ut quoniam, ut est in solenni formula, hic, & ubiq; locorum, eos valere cupiunt, dent quoque operam, ne eorum doctrina cum totius orbis sensu, iudicioque vlla in re discrepet.

CAPVT XI.

De Pontificis Maximi in approbandis Academijs auctoritate.

[In cõfil.
Theolog.
2 part pa.
165]

NON placet hoc Philippo. Quid ita? Nolunt, inquit, Pontifex, & Imperator propagari veram, & puram Euangelij doctrinam, qualem constat esse harum Ecclesiarum. Ideò his Principibus, & Scholis sunt inimici. E contra tamen hi Principes verè inuocantes DEVM, debent facere officium suum, & constituere honesta collegia docentium, & discentiũ litteras. Id præcipit DEVS. At quis non videt ea non posse honesta esse docentium collegia, quæ ideò absque summorum Principum auctoritate constituuntur, quòd doctrina in ijs tradatur ab illorum